

Perillustris VIR, ad exemplum Virtutis, Doctrinae,  
omniumque Elegantiarum hanc,

Hactenus quaero verba, quibus humanitatem tuam ex-  
tollam. Accepi enim Beneficium, quod ut maximum  
esset, perenne esse voluisti; mihi, filio, totique  
familiae religione quadam colendum: infelicionibus,  
quia totum profiteri atque enunciare non licet. Sed  
Sane nobis legem dictam esse putabimus, Silere, et  
debere. Quicquid referemus, gratiarum solo pignore  
constabit. Tanquam ipse fruiturus rure, loquor;  
et tanquam filii sustineam personam, privata Litte-  
rarum studia, publica videor fide ac tutela munire.  
Langueram sane, sive meo, sive temporum vitio, si  
et haec ausim accusare. Meo potius; quia iam  
senescentis; et quasi morbos aetatis delibem, mo-  
lestos corpori, et magis animo, cuius almae fun-  
ctiones in ipsa quodammodo maturitate sebelantur.  
An scribo igitur? imo quae scripta colligo, aut  
absolvo inchoata. Varia haec sunt, et Amvenitatum  
titulo comprehendenda; quarum specimen uno ali-  
quando volumine, non magno, dedi. Liber De Bis-  
sexto magnus etiam non fuit: varius tamen, et nisi



Hug. 37.

fallor, inter curiosos: quem argumenti fiducia No-  
vam temporis facultam ausus sum appellare. Eiusdem  
notae Nundinae erunt Romanae; quemadmodum Mar-  
tis populus octo dierum laterculo annum complexus  
sit, cum appellationem à Planetis ignoraret. De  
Principio Diei, et Circulo Urbaniano pars reliqua est,  
rem suâ naturâ sterilem ad amoenitatem et facun-  
diam revocans. Nunc vero in Bivio versor vitae  
Humanae: quae Virtutum et Vitiiorum Lineae  
sunt, duobus libris comprehensae. Lineae, sed  
Aristotelicae: ac nescio, an utilius possit argu-  
mentum juventuti, stilo dirigendae, proponi. Hoc  
ago, ne prorsus otiosi videar, ac inertiae obsequi.  
Caeterum, siquid vigoris supererit, siquid adversus  
iniquitatem temporum hominumque animi, reli-  
quos (tres enim iam absoluti sunt) Aristotelis De  
Republica libros continuis Aphorismis represen-  
tabo. Novam interim Epistolarum editionem  
filio meo IVSTO commisi: qui aliquot adhuc  
Centurias colliget. Optimae erunt, quas nomen  
mox tuum nobis, clarissimi iudicis instar, illustra-  
bit. Tertiam è novo Apparatu sic vides: per otium

inspice, et quartam exspecta, quae sub praeco est.  
Bibliothecam sic novam surgere, Auspicia ista osten-  
dunt. De libris scripta sunt, ac nescio an tanti  
sint, ut inter libros nomen locumque inveniant:  
mittere tamen volui, quia mea sunt; quia me  
ipsum magno affectu tuum reddidisti. WENDE-  
LINVS Herciae ad Sue Haeret, penetibus quasi af-  
fixus: venturus brevi Lovanium, ut apud nos  
à nupero morbo respiraret. Sane videre Seminarium  
Heros noster CANTELMVS desiderat, praestan-  
tium amantissimus ingeniorum; qui sub mol-  
liori caelo febris reliquas excussurus, Palladis  
Sanc Acropolim aestimavit. Mireris virum  
istum, verè et pro nomine virum, non minus  
philosophari posse, quam pugnare. Sermones  
igitur nostri de studiis sunt; et quoties terra  
angusta est, caelum contemplamur. Nunc desino,  
et à filio salutem addo. Lovanii, in Arce, V. Kal.  
Febr. MDCCXXXIX.

Incomparabili Humanitati tuae  
aeternum obstrictus

E. Puteanus.

}

